

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1019

1017

1023

1013

1028

1008

1068

0968

1118

0918

0518

0018

Ende

Anfang

446

Post longum descensum recurvabatur vallis iterum contra meridiem ad montem sanctum et laeti processimus in oculis (**b**) Synai montem habentes. Sole autem occasum petente venimus in unum latum campum, undique altis montibus circumscriptum, et campus rotundus in medio montium et humus herbosa et multum delectabilis (est). In medio campi erant in una circumferentia multi rupes et scopuli de terra prodeuentes et monticulum facientes et sub istis scopolis tentoria fiximus et pernoctare ibi decrevimus. Dicitur autem regio illa et campus arabice Macharea estque campus ita montibus septus, quod non poteramus exitum videre nec cernere, ubi intravimus, aut ubi exituri essemus. In illo campo pascebat Moyses oves Jethro, socii sui, de quo habetur Exodi IV., et abhinc minavit gregem ad interiora deserti, ad radices montis Synai, quod nullus pastor ausus facere fuerat, sed omnes extra hic et alibi in vallibus manebant, ut patebit.

In ipsis rupibus, quae juxta nos stabant, ostenderunt nobis ductores locum inter rupes aptum sessioni, a quo est respectus per illius campi latitudinem. In illo loco dicunt Moysen sedisse, dum pasceret oves Jethro, sacerdotis Madian. Pro cuius intellectu notandum, quod Madian fuit civitas in littore maris rubri sita, a qua tota regio a mari usque in desertum dicebatur Madian. In civitate autem residebat primas patriae, qui dicebatur sacerdos Madian et erat tempore Moysis Jethro, qui etiam dicebatur Raguel et Civeus et Obab. Ad hunc primatem confugit Moyses ab Aegypto, ut habetur Exodi II. Cumque Moyses bene ei serviret, tradidit ei unam ex filiabus suis uxorem et fecit eum pastorem gregum ovium suarum, quod erat magnum, quia tota substantia antiquorum dependebat a gregibus bestiarum. Morabatur ergo Moyses cum gregibus ovium in locis deserti graminosis et herbosis, sicut erant valles deserti Synai et singulariter in isto loco erat cum aliis pastoribus, quia erat spatus et pascualis, et multis annis in pascuis exercebatur et quandoque in civitatem, quae longe aberat, descendit ad uxorem, sed pro majori parte anni fuit in deserto cum ovibus, sicut pastores boum et vacuarum in alpibus cum eis manent per multum anni spatium. Erat autem campus ille terminus pascuarum, nec permittebatur

